


Q-N. 266, 13.

Z d
4920

BIBLIOTHECA
PONICKAVIA

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)




RANFFTII
AMORES

SIVE

EPISTOLAE
INTER EVM ET SOPHIAM
AMASIAM SVAM
COMMVTATAE

ADAMVS GRENZIVS
RECENSVIT
ET NOTIS
AD MODVM

JOANNIS MINELLII
INSTRVXIT
CVM SVMMI APOLLINIS GRATIA
ET PRIVILEGIO.



L I P S I A E,
SVMP TIBVS AVTORIS
LITERIS JO. GEORG. SCHNIEBESII
M DCC XXIV.



V I R O
PLURIMUM REVERENDO, AM-
PLISSIMO AC DOCTISSIMO,
DOMINO
MICHAELI
RANFFTIO,
PASTORI APUD DROYSSIGIENSES
OPTIME MERENTI
PATRONO AC FAUTORI
SVO MAXIME COLENDO

ADAMUS GRENZIUS
D. D. D.

Civ



Cur huic meæ opellæ TUUM, Vir Plurimum Reverende, nomen præfixerim, non est ut queras, nec ego habeo, quam allegarem rationem, cum omnem præ se ferat ipsum libelli frontispicium. Res enim filii Tui in his pagellis agitur, quæ ad TE primo jure mihi referenda videbatur. Res quoque est grata atque prospera, quo minus vereri debuerim istam TUO sistere conspectui. Habet enim nunc filius TUUS, quos tam multa assiduitate quæsit, quosque ego lege amicitie ipsi acclamarem honores. Quem in paternis ædibus institutio, quem in Lyceo Chemnicensi Clarissimorum Præceptorum dexteritas, quem denique in hac Alma Virorum ubique celeberrimorum cultura finem habuit, eum demum inclutus Philosophorum Ordo coronavit. Cum vero omnis externa liberorum felicitas, quantum vitæ atque educationi debet, omnino Parentibus in acceptis referenda sit, non potui, quin TIBI, felici Parenti, filium felicem magno plausu gratularer. Nil igitur superest, quam ut vota, quæ pietas fovet, subjungam. Faxit Deus ter optimus, ut etiam in reliquis, quos ille TIBI, tanquam tori chara utriusque sexus pignora concessit, liberis felicem educationis fructum experiaris, ita, ut in hoc TUO primogenito habeas, quæ successu temporis in omnibus expectes gaudia. Cæterum in me istum, quo hæcenus me amplexus es, proroga favorem, meaque TIBI studia habe commendatissima.

Lips. d. XVII. Febr. MDCC XXIV.

CANDIDO



CANDIDO LECTORIS.

Non multa præfatione mihi opus esse reor, cur hæc meas lucubrationes tibi, Lector, si placet, perlegendas tradiderim. Quid enim antiquius est, quam mutua inter amicos in casibus vel lætis vel tragicis gaudij & doloris testimonia, quæ nostra præsertim ætas publicis significare scriptis consuevit. His ego etiam insisto vestigiis, & levi hac scriptura amico cuidam, longo usu mihi conjunctissimo, de summis in Philosophia consecutis honoribus gratulandi arripio occasionem. Res igitur est antiqua, nova tantum apparet facie, hinc etiam tuum de novo ambiendum duxi favorem. Nova facie hæc hactenus sane multa prodiere, & non adeo mirarer, si in antiqua hanc meam referres operam. Mihi utrumque est, tamen antiqua magis quam nova pro viribus mihi imitanda sumuisse confiteor. Penes te ergo liberum erit iudicium, mihi vero si unicum petere liceat, primam petitis meis gratiam addes, si has paginas cum istis novis non æquiparabis. Quemadmodum enim, quod ad linguam attinet, ab istis scurris discessi, sic nec quod ad stilum, mihi quicquam cum illis est commercii. Nam deprehendes, me nec quemquam vel acri calamo strinxisse, vel (quod mihi cum omnibus viris honestis execrabile est)

U I T H A E):(2 est

PRAEFATIO.

est) lascivo scribendi genio cum istis *Veredariis, Cursoribus, ac aliis hujus furfuris Nugatoribus* indulgisse. Et cum probe sciam, hos omnes apud paucissimos suam constitutam habere laudem, nec ego contendo ex eadem decerpere, verens, ne cum ista castæ Poëtos summam in me derivarem indignationem. Interim meæ hujus opellæ tanta dignitas non est, ut ad instar vetustiorum operum fuerit adornanda, nec etiam stili elegantia ea est, quæ necessario annotationum qualemqualem accessionem meruerit. Quicquid autem hujus est, antequam vitio vertas, aliquid velim indulgere lusui. Non tamen etiam inficiari possum, præsertim, quod ad posterius spectat, me hoc ipso, quodcunque est, te, Caudide Lector, aliquo modo juvare voluisse. Cum enim nec ego, nec meum juvenile in facultate poëtica studium tanti sit, ut hunc vel illum in perlegendis versibus hisce evolvas librum, malui mentem meam, quam in ligato hoc dicendi genere non ubique fatis evolvere licuit, notis subjectis aperire, tecumque dilucidius communicare. Cæterum de meo qualicumque conatu, non, ut pro acri tuo judicio debebas, sed, ut pro benevolentia tua poteras, judica, memor illius Ciceroniani: *Imitatio est, qua impellimur cum diligenti ratione, ut aliquorum similes in dicendo VELIMUS esse.* In *Exercitatione* enim si versarer, lectu digniora tibi tradidissem. Vale & fave studiis meis.

RANFFTII



RANFFTII
A M O R E S.
EPISTOLA I.
SOPHIA RANFFTIO.

ARGUMENTVM.

Pauciores hodie sunt, qui se Philosophia dare solent. Plurimi enim eam ad altiores disciplinas plenius intelligendas leviter modo attingunt; hinc jure se desertam querendi habet rationem. Ejusmodi querelas continet hæc epistola, in qua Sophia RANFFTIO, cuidam olim discipulo, desertionem sui malitiosam objicit. Argumentum justissimæ accusationis petit ab integritate animi sui, qua ei nunquam defuisse per omnes Sapientia suæ, i. e. Philosophiæ partes evincit. His addit suspicionis suæ causam atque fundamentum, sibi ipsi etiam fingens solamen, quod semper ejusmodi fata sibi contigerint, comprobando istud tum ex veteri tum recentiori historia. Talem vero sui contemptum a Ranfftio suo magis fictum quam verum fuisse optat, eumque, ut ad se rursus revertatur, tam blanditiis quam premiis suis invitat.

Quam remorata diu tibi¹ speque metuque salutem,
Ranfftii,² nunc offert, accipe quæso, manus.

¹ Hi duo affectus, si concurrunt, commodissimi sunt ad actiones procrastinandas. Nam uterque est expectatio vel opinio, hic mali, ille boni, secundum Cicer. 4. Tuscul. ² Post diuturnum hæcenus silentium.

Accipe, quas sorpsit cupidis hæc pagina labris,
 Accipe, quas nunquam respuit aura, preces.
 Respue vota tamen, tuæ si levitate papyro, 5
 Ac auræ cedit mobilitate fides.
 Sique fuga nostri nomen³ scripturaque nostra
 Te fugit, his Sophiam te revocasse scias,
 Nil mihi rescribas, sed, si non candor in umbram
 Transit, ut⁴ vultu nunc refociller age. 10
 O utinam fugeret te mentis in⁵ ore venustas
 Sic ego nec flammis urerer ægra tuis.
 O utinam non mox formis caperere venustis,
 Sic te nec priscus deseruisset amor.
 Dure, quid injusti, dic, nos commisimus in te, 15
 Nostra ut cogamur dexteritate mori?
 Ignis enim quondam qui molles⁶ nutriit artus,
 Nunc⁷ rapit ad dirum membra relicta rogam.
 Exulet heu! tecum quondam percepta voluptas,
 Latior ut possim fallere nocte moras. 20
 Ast quia tu⁸ nostris hæres, scelerate, medullis,
 Res est solliciti plena doloris amor.
 Quid juvat incepto nos incendisse remisso?
 Grata sua finem⁹ nescit in arte Venus.
 Nos vero casti finem sentimus amoris, 25
 Quem minime nostrum sed cor amantis amat.
 Deprecor, hic titulus te non offendat amantis,
 Nam de præterito tempore lingua canit.
 Vos ubi nunc noctes quondam brevitate dolosa!
 Cum tua colligeret, perfide, membra sinus. 30

³ Character scribeatis externus, quo quis facile dignosci potest, germ. *die Hand, so man schreibt*. ⁴ Præsentia tua, nam vultus est facies capitis adversa. ⁵ Idem tota externa facies est, qua de causa æque ac vultus nobis est index mentis, vel, ut Cicero dicitur, *tacitus sermo mentis, it. imago animi*. ⁶ Amor enim delectationis & utilitatis ergo homini implantatus est. ⁷ Amor destruit corpus, si non habet, in quo terminetur, objectum. ⁸ Omissa est præpositio *in*, pro more Poëtarum, maxime quod quietem significat. ⁹ Non repugnat, amore sæpe brevi in furorem desinere, id quod tantummodo impuri amoris est, purus autem atque modicus amor ad mortem usque durat.

Verbera non quererer, quæ sentio, fortis iniquæ,
 Nostro si vitio poena luenda foret.
 Stulta parit surdo Phaëtoni audacia ¹⁰ lapsum,
 Icarus & proprio crimine ¹¹ signat aquas.
 Ast delicta tuam affligunt aliena Sophiam, 35
 Cor nostrum candor crimen habetque tuum.
 Quando tuis unquam contra sum nisi petitis?
 Quando aliquid frustra, quæso, rogata fui?
 Nostræ invisâ fuit semper ¹² reticentia menti,
 Nec ¹³ Dodonæum verba habuere dolum. 40
 Nos totam stitimus demto velamine ¹⁴ nudam,
 Viscera vix oculis clausâ fuere tuis.
 Undas vel peteret vel si remearet ¹⁵ Eous,
 Præsto semper eram nocte dieque tibi.
 Sicque mea qua te ¹⁶ potui virtute juvare, 45
 Non ullum novi, quod male cessit, opus.
 Nam mens si ¹⁷ solitis erat eripienda tenebris,
 Me modo vel visâ, lux venit, umbra fugit.
¹⁸ Centoculum cantus vigilem dulcedo sefellit,
 Et Iunone prior fraude ¹⁹ Tegæus erat. 50
 Ast uno arte mea munitus mentis oculo
 Et Veri & Falsi ²⁰ Sensus acutus erat.

¹⁰ Conf. hanc fabulam nitide enarrantem *Ovid. lib. II. Metamorph.*
¹¹ Mare Ægeum s. Archipelagus, in quod præceps dabatur Icarus,
 ab eo etiam Icarium vocatur, quod pariter habet *Ovid. lib. VIII. Me-*
tamorph. ¹² Est malitiosum silentium, cum id non dicitur, quod
 dici debuit, sic *Plautus in Mercat. Act. 5. Enecae me miserum tua re-*
ticentia. ¹³ Dodona vel Dodone, urbs Chaoniæ in Epiro, juxta
 quam nemus fuit, in quo templum Jovis Dodonæi vetustissimo
 omnium oraculo celebre. ¹⁴ Per metaph. *aufrichtig*, ut habet *Pli-*
nius, nuda verba, i. e. *aperta.* ¹⁵ Unus est ex equis solis *Ovid. lib.*
II. Metam. & sic tam ortum quam occasum solis indicare potest.
¹⁶ Philosophia enim certos suos habet limites, secundum illud tri-
 tum: *ubi ratio desinit, ibi revelatio incipit.* ¹⁷ Non negatur quidem
 Logica naturalis, tamen vero antequam Logica artificialis in mente
 enascatur, multas ignorantiae & præjudiciorum nebulas ante discuti
 necesse est. ¹⁸ Conter hic quæ de Argo pastore habet *Ovid. lib. I.*
Metam. circa fin. ¹⁹ Mercurius, a loco natali, qui erat Tegea, op-
 pidum Arcadiæ, ita dictus. ²⁰ Sensum Veri & Falsi ex recentiori
 nostris Philosophis Logicam suam inscripsit Excell. *Ridigerus*, prodit
 ista hic *Lipsi. 1722. 4.*

Naturæ

Naturæ pariter nec te²¹ sacer ordo latebat,
 Donec erant curis ora soluta tuis.
 Cuncta revolverunt nostri miracula sensus, 55
 Quæque latent vulgum nos penetrasse scies.
 Alma Parens rerum semper sua²² regna benigne
 Invisenda tibi, me moderante, dedit.
 Hæc tellus animal nec fert nec contegit ullum,
 Cujus tu careas cognitione rudis. 60
 Quos undæ pisces, quas sustinet aura volucres,
 Quæque insecta fovet, te minus ista latent.
 Quo pulsu, nosti, viridis progerminet arbos,
 Graminibus campi semina quæque sient.
 Cognoscis, montes quæ condunt, rara metalla, 65
 Quosque sinu²³ lapides terra fretumque gerit.
 Corpora non tantum, suspendit quæ levis aura,
 Sed genios etiam tangere mente vales.
 Ipse tua quod sis unus cum mente²⁴ perenni,
 Non hoc transcendit cognitionis æcum. 70
 Attamen hæc motus non in se vere superbos
 Nobis, Omnipotens quod reputandus erat.
 Falsa hinc²⁵ Nasonem, monui, cecinisse; crearunt
 Nos nec Deucalion nec quoque Pyrrha sua.
 Est Deus in cœlis, quem nos celebrare Parentem, 75
 Vel lex²⁶ naturæ relligiosa jubet.
 Indeque promanat mentis spes grata²⁷ futuri,
 Ærumnas inter terribilesve²⁸ quies.
 Quas taceo reliquas virtutes,²⁹ proximus, istis
 Qui servandus erat, commemorare sciet. 80
 Verbo, quod Sapiens, Prudens³⁰ Justusque probaret,
 Id nobis placuit, cura que nostra fuit.

²¹ Ordinem enim naturæ Deus implantavit. ²² Sunt classes corporum perfectorum, quæ Philosophis *Regna Naturæ* dicuntur. ²³ Pretiosos. ²⁴ Immortali. ²⁵ Lib. I. Metam. ²⁶ Scripturæ S. dicitur, *lex cordibus nostris inscripta, Rom. II, 15.* ²⁷ De hoc maximo cum affectu disserentem audias *Cicaronem in Somnio Scip. c. III.* ²⁸ Conf. *Ridigeri Zufriedenheit der menschlichen Seele.* ²⁹ Huc spectat socialitas, anima vitæ civilis. ³⁰ Quippe in quibus partibus tota absolvitur vita naturalis & philosophica.

Sed cuncta hæc, doleo, modice te tangere, rectam
 Nunc sine me vitam vivere posse putas:
 Credes, nos tantum tyrones posse polire 85
 Alis nec nostris ³¹ splendida peti.
 Hæc ego dum meditor, (tua quæ, quam nosco, li-
 bido est)

Esse peregrino captus amore potes.
 Invito, haud vano tamen, hæc ego suspicor ausu,
 Et mora, quod vereor, scriptaque visa probant. 90
 Te minime puduit testari nomine lato
 Olim, quod nostro totus amore flagres.

Quæ comitabar ego nomen nunc cogor abesse,
 Occupat & nostrum Theologia locum.
 Historiæ pariter te non concedere partes 95

Postremas, novi, nosse quod hisce queror.
 Quid ³² deserta tamen quereris? tua fata revolve,
 Tristia, quæ memorant, non aliena tibi.

Ex prisca, pia mens, solatia carpe periclis
 Est tolerabilius nota subire mala: 100

³³ Sanas ³⁴ Cecropiæ gens vix ³⁵ gustaverat artes,
 Nostris nos placitis clamat ³⁶ obesse Diis.

Socratis e ³⁷ coelo vox! me revocavit in orbem,
 Heu! sibi mortiferam conciliavit ³⁸ aquam.

Quæ Latium quondam tulerit mandata ³⁹ malignum
Essem ne ⁴⁰ *Roma*, scripta relicta docent. (105)

³¹ Facultates superiores. ³² sc. Sophia, nam ad se ipsam nunc ora-
 tionem convertit. ³³ i. e. Philosophiam Non fabulosam, quæ con-
 tradistinguitur fabulosæ. ³⁴ sc. urbis, ita dicuntur Athenæ a Cecro-
 pe, rege & conditore urbis. ³⁵ Gustasse artes dicuntur per metapho-
 ram illi, qui modo eas ceperunt cognoscere, quales erant Atheniensis
 tempore Socratis. ³⁶ Socrates enim accusabatur tanquam de Diis
 male sentiret. ³⁷ Socrates, cum primus Ethicem s. Philosophiam devo-
 tasse, conf. *Vossius de Philosoph. Sectis c. V. p. m. 28.* ³⁸ Cicutam, fuc-
 cus erat ex herba venenosa collectus, quem bibere Athenis cogeban-
 tur damnati, ut testatur *Plinius H. N. lib. XXV. c. XIII.* ³⁹ Invidum,
 propter odium in Philosophos. ⁴⁰ Quomodo Philosophi & Rhetores
 per Censorium edictum Marco Pomponio, Prætoris, & aliquot deinde
 annis post imperante Domitiano, Roma prohibiti fuerint, videre est
 ap. *Gell. L. XV. c. XI. ap. Suet. de Claris Rhetoribus statim sub. iust.*

Noster Epictetus, pars Tullius altera nostri,
 Hic fuit ⁴¹ opprobrio, vertit & iste ⁴² solum.
 Nec sane nostra desunt ætate maligni,
 Exitium quibus est gloria magna meum. 110
 Sic pius iniusti quid quaeso ⁴³ Boëthius egit,
 Dum triste ⁴⁴ exilium ⁴⁵ suppliciumque subit,
⁴⁶ Hostis, quem nobis infensum ⁴⁷ Julia ⁴⁸ fovit,
 Nostra palam dixit dogmata carnis opus.
 Desuit en nunquam sic nobis fors mala, lædi 115
 Laus si vel potuit ⁴⁹ nomine nostra malo.
 Ast abs te quoque me spretam ne credere cogar,
 Hæc fac nunc vano me metuisse metu.
 Vitam, si poteris, demto spiramine, finge,
 Ni poteris, Sophiam finge videre tuam. 120
 Spes nutrit vitam, metus est mihi portio mortis,
 Tarde redi, vitam redde, necemque fuge.
 Noster amor crescit, dum crescit epistola nostra,
 Acer in extremis ossibus hæret amor.
 Rumpe moras, tunc me lætabor vana locutam, 125
 Et luet os mendax oscula mille meum.

⁴¹ De hoc ipse Cicero testatur *Lib. II. de Officiis* in limine statim
 dicens: *tamen interdum vereor, ne quibusdam bonis viris philosophiæ
 nomen sibi invisum, mirenturque in ea tantum me opera & temporis
 ponere.* Cæterum etiam conitat, Ciceronem ab invidis & malevolis
Græculum appellatum fuisse, quia Romani philosophiæ studia, tan-
 quam otiosorum Græculorum oblectamenta, aut contemnebant, aut
 leviter modo tangebant. ⁴² *Conf. cit. Gell. lib. XV. c. XI.* ubi
 invenies, Domitiano imperante Epictetum Nicopolin Roma deces-
 sisse. ⁴³ Anicius Manlius Severinus Boëthius, Philosophiam cum
 Oratoria & Poësi conjunxit, vixit sub Zenone imperat. & Romæ ges-
 sit Consulatam. ⁴⁴ Ticinium expulsus est in exilium a Theodorico
 Gothorum rege, nec constat ob quam suspicionis & delationum cau-
 sam, in eodem contexit libros suos de Consol. Philos. ⁴⁵ Ab eodem
 Theodorico una cum Socero suo Symmacho supplicio supremo af-
 fectus est anno Christi 524. ⁴⁶ *Daniel Hoffmannus D. & Prof. Theol.*
in Acad. Helmstad. vixit anno 1598. & Philosophiam pugnare cum
 Theologia acerrime contendit. *vid. Vossius de Philosoph. Sæclis cum
 Continuat. Ryffelii cap. ult.* ⁴⁷ Academia Helmstad. a Fundatore Ju-
 lio, Duce Brunsvicensi ita dicta. ⁴⁸ habuit. ⁴⁹ Philosophi quibusdam
 malevolis *Pedantæ* dicti sunt, voce minus latina, tamen istis rudiori-
 bus hominibus admodum familiare, *conf. Mich. Montanus in Spe-
 cimine de Pedantismo.*

Expectant,

Expectant, propera, te brachia nostra, morandi
 Te locus expectat, qui meus ipse sinus.
 Deficiunt demum nunc lingvam verba fidelem,
 Deficiet nullo tempore pectus amor. 130
 Cedo tibi palmam, venturus victor abibis,
 Mentem vicisti, vincere membra leve est.
 Præmia te expectant, absens Bellator amatae,
 Sed Victor præsens atque Magister eris.

EPISTOLA II. RANFFTIVS SOPHIAE.

ARGUMENTVM.

Respondet hæc epistola præcedenti, & totus est autor in eo, ut Amasie suæ suspicionem de fuga, ac desertione ejus serio, summa tamen cum reverentia removeat. Argumentum suæ defensionis petit ab impossibili, (ut cum rhetoribus loquar) quod celebratio Sophia, i. e. Sapientie ubicunque pertingit, & omnibus temporibus obtinuit, comprobando hoc ex historia philosophicâ. Reliqua suspicionis fundamenta cum vita sua hæctenus acta conciliat & extenuat, ipsamque se in posterum constanter amaturum esse confirmat. Oblatam vero gratiam & præmia promissa cum summa gratiarum actione accipit, seque ei de meliore commendat.

Est ¹metus atque pudor, calamo qui verba recusant,
 Ast ²honor & pietas hæc tibi scripta ferunt.
 Quæ dedit, Alma, mihi nuper tua charta salutem,
 (³Dicere vix ausim) causa tremoris erat.
 Ceu ⁴nitidum peragrant quoq; dira tonitrua cœlum, &
 Sic Sophiæ suavis vox mihi rauca fuit.
 Absit, justa, tamen, metui ut reverentia desit,
 Hæc junxit labiis singula verba meis.

¹ Hos affectus præcedens epistola excitavit. ² reverentia. ³ nam est paradoxon salutem ferre & simul tremorem excitare. ⁴ quod modo serenum erat ut sit æstivo tempore. Agnovi

Agnovi caramque manum, curamque benignam,
 Vix ego qua dignus⁵ filius esse reor. 10
 Lecta meas equidem non poscit epistola chartas,
 Hei mihi! quod poscat, quæ⁶ subeunda pudet.
 Optima, da veniam, ⁷ mater, tibi iussa⁸ neganti,
 Ira prius scriptis concilianda fuit.
 Forfan in his si non graphica est pictura notarum, 15
 Hæc scripsisse manu me trepidante scias.
 Sin vero rerum vitio structura laborat,
 Est ratio, quod mens te penes omnis erat.
 9 Claudia quod alterno subsidunt carmina versu,
 Quam metuunt, facies asperitate facit. 20
 Utque tua haud foveant iram ¹⁰ præcordia, mentem
 Non tamen absolvit cura pudore meam.
 Namque tuam aut reputo personam verbave scripta,
 Adsit ni nomen, non mihi scripta ¹¹ forent.
 Ranffius, ille tuo non pridem lacte remotus, 25
 Qua gaudere potest, est tua sola salus.
 Non ego sum dignus, precibus qui matris adorer,
 Ac, nisi quem dederas, est mihi nullus honor.
 Hunc quoque tolle, precor, quo non sum dignus,
 honorem,
 Est honor ex iussis, ex precibusque pudor. 30
 Tute (quod egregie mihi subvenit) ipsa ¹² fateris,
 Quomodo mancipium sim tibi factus ego.

⁵ Sophiam, matrem agnoscit. ⁶ ut scilicet ipse veniam. ⁷ Sapientia enim dat vitam rationalem, hinc Alexander M. dici consuevit: Philippus Pater, ut essem, Magister vero, Aristoteles, ut præclare institutus essem, autor fuit. *Stobæus L. II. Serm. 2.* ⁸ reculant. ⁹ composita genere elegiaco, constante ex longiore Hexametro & brevior Pentametro. ¹⁰ quid proprie sit, videre licet apud *Plin. L. XI. c. XXXVI.* & ap. *Celsum L. III. c. XX. b. l.* pro ipso corde ponitur, ut *Poëis familiare est Virg. III. Aeneid.*

Quondam etiam vicis redit in præcordia virtus

Horat. L. I. Serm. Satyr. IV.

Condita cum verax aperit præcordia Liber. (*Bacchus*)

¹¹ non crederem præcedentes literas mihi scriptas esse, nisi nomen meum istis præfixum hoc indicaret. ¹² in superiori epistola quam vide.

Sum,

Sum, id quoque semper ero, dulce est tua vincula ferre,
 Quid vero quereris me petiisse fugam?
 Qua vel¹³ cunque patet tellus, quoque regna So-
 phiae 35
 Ampla patent, poterit quis locus esse fugæ?
 Finibus immensas si transgredieris ad oras,
 Quæ claudunt Asiam, castra Sophia tenet.
 Gens Chaldæa suis, quas sedulitate probavit,
 Viribus ad summi te vehit¹⁴ astra poli. 40
 Non finit esse rudes rex¹⁵ Zoroaster & ¹⁶ Ochus
 Persas, nec¹⁷ Phœnix¹⁸ Indus acuque carent.
 Extremus nescit non splendida sceptrâ Sophiæ
 Afer, sub calido qui jacet axe poli.
 Vah! tibi quæ posuit gens¹⁹ ditis ad ostia Nili 45
²⁰ Jugera, ²¹ secretis ingeniosa notis.
 Ipse avidis quondam²² Moses hic auribus hausit,
²³ Principis ac pariter quæ Sapientis erant.
 Candida nec sane nauci est Sapientia²⁴ nigris,
 Et schola quæ Libyæ est, perstat²⁵ Atlantis opus. 50
 Nostra, nec ignotos, ætas quos detegit,²⁶ orbes
 Omnis doctrinæ novimus esse rudes.
 Restat, & in seros gens Europæa nepotes
 Restabit, Sophiæ pignora iusta tori.

¹³ Tmesis hic est, de quo vid. Grammat. ¹⁴ norum est a Chaldæis Astrologiam maxime excultam fuisse. ¹⁵ primus Bactrianorum rex creditur, qui primus, ut autor est *Plin. L. III. c. I.* artes magicas in Perside invenit. De nomine hujus variz opiniones sunt; Alii id interpretantur *astrum vivum*. Dinon in Persicis *Ἀστρολόγῳ*. Sed optime *Samuel Bochartus in Geographia Sacra Ἀστρολόγῳ* legendum censet, qui astra contemplatur & observat. *vid. Voss. de Sect. Philos. c. I. §. 14.* ¹⁶ Perlarum Philosophus, *vid. Suidam in Ὀχός.* ¹⁷ *vid. Voss. cit. loc. §. 24.* ¹⁸ *ibid. §. 18.* ¹⁹ propter magnitudinem & abundantiam aquæ. ²⁰ sunt ista ponderosa sepulchrorum apud Ægyptios ædificia, quæ Pyramides vocabant. ²¹ hieroglyphicis. ²² *conf. Act. VII. 22.* ²³ quia à filia regis Pharaonis educabatur. ²⁴ Æthiopicis, *conf. Voss. c. I. c. II. §. 9.* ²⁵ autor Philosophiæ Libyæ. Multorum judicio astrologiam invenit, teste *Plin. L. VII. c. 55. Virg. Æneid. de co ita:*

— — — docuit quæ maximus Atlas
 Et canis errantem Lunam, Solisque labores.

²⁶ Americam aliasque regiones novæ.

Semper

Semper amavit enim firmas hic figere sedes, 55
 Florida temperies ingeniisque placet.
 Quæ sua Pythagoras docuit præcepta ²⁷ silentes,
 Ejus non sane ²⁸ scripta relicta silent.
 Florent laude Thales & Socratis illa, Platoque,
 Summus Aristoteles, quos sopor altus habet. 60
 Hos Sophiæ in regno ²⁹ Cynicorum turba ³⁰ se-
 quuntur,
 Quamque habuit quondam porticus ampla, ³¹
 schola.
 Nec posuit Sophiæ fera ³² Roma repagula ³³ semper,
³⁴ Varro, ³⁵ Lucullus, quod ³⁶ Ciceroque probant.
 Carmina ³⁷ Lucreti, ³⁸ Senecæque nec ulla vetustas 65
 Extinguet libros, fama manebit eos.
 Ut raceam reliquos, fovit quos Græcia docta,
 Cultores Sophiæ, quos Latiumque tulit.
 Nam caret haud noster Sapientibus orbis & ætas,
 Teutonicos campos grata Sophia rigat. 70
 Hic me campus habet, quo me nunc jure fugacem
 Ac te desertam, mater amanda, ³⁹ vocas?

²⁷ Suis auditoribus non integrum erat loqui vel disputare, sed tantummodo audire debebant ad deprimentam scilicet ambitionem.
²⁸ Totam ejus Philosophiam conscripsit Joannes Schefferus, Libro, de Natura & Constitutione Philosophiæ Italicæ. ²⁹ erant Philosophi, quorum princeps habebatur Antisthenes: ita dicti, sive a Cynofarge gymnasio, in quo Antisthenes profitebatur, sive a canina mordacitate, qua in hominum vitam nullo discrimine invehebantur; aut (ut alii volunt) ab eo quod canum more in propatulo coire non dubitarent. Ciceronis in *Off. L. I.* de eis judicium est: *Cynicorum ratio tota rejicienda est.* ³⁰ est Synthesis numeri, de quo vid. Gramm. ³¹ stoica, *ἀνὰ τῆς πόλεως*, quia sub porticu habebatur Athenis. ³² quomodo Philosophiam Latini à Græcis derivaverint in Latium, ostenderunt eruditi integris libris, e.g. *Paganus Gaudanzius* de Philosophia apud Romanos origine & progressu. ³³ nam aliquoties proscribebantur Roma Philosophi, quod videre licet ex *Suet. de Claris Rhetoribus Antim sub initium* & ex *Gellio L. XV. c. XI.* ³⁴ Hic primus græcam Philosophiam lingua latina expressit. ³⁵ clarissimus Romanus prætor. Ejus vitam scripsit Plutarchus. ³⁶ Philosophiam ejus vide in Academicis questionibus. ³⁷ erat Philosophus epicureus, qui etiam totam Philosophiam epicuream carmine heroico descripsit. *conf. Gell. N. A. L. V. c. XII.* ³⁸ Stoicæ Philosophiæ maxime erat deditus. ³⁹ respectum habet ad præcedentem epistolam.

Est urbs, in medio terræ quæ cordis ad instar
 Teutonicæ, fausto fidere clara, jacet.
 Magnus Apollo suos hic pasci curat alumnos, 75
 Quos hora quavis ad sua⁴⁰ prata vocat.
 A⁴¹ philyris, orbem quæ comant urbis, amœnis.
 Vel⁴² Plisâ, Musæ, flumine, nomen habent.
 Hæc, sua signa quater dum sol duodena peregit,
 Chara mihi patria est, Lipsia, dulce solum. 80
 Non hic ulla dies abit, aut me densa tenebris
 Nox tegit, ut te non, Alma, revisat amor.
 Theiologia suas equidem sibi vindicat horas,
 Historiæ studium deliciasque puto.
 Hocce tuo tamen haud quicquam decerpit amore, 85
 Ut potius præstans augeat⁴³ usus eum,
 Historicus falsis si vult discernere vera,
 Ut libret iusta talia lance decet.
 Non nisi qui vanis nititur⁴⁴ Fanaticus⁴⁵ umbris,
 Contendit Sophiæ dicta nocere⁴⁶ sacris. 90
 Hinc absolve meam, mater charissima, mentem,
 Quæ tibi⁴⁷ sacra manet, suspitione fugæ.
 Te fugiens peterem lethum, omnis quem fugit atas,
⁴⁸ Ars etenim vitæ es, grata Sophia, mihi.
 Ac tibi de dictis dubium ne in mente relinquam, 95
⁴⁹ Hanc celeri insequitur Rantius ipse pede.
 Cede mihi, quamvis non digno, præmia honorum,
 Digna tamen, larga quæ bonitate tua,
 His mihi concessis⁵⁰ rursus comitabere nomen,
 Idque statim⁵¹ primo, mater amanda, loco. 100

⁴⁰ Collegia, ceu vocantur, quæ hora audita a Professoribus aper-
 untur. ⁴¹ Musæ philyreæ. ⁴² Plisfiades. ⁴³ in omnes enim disci-
 plinas influit philosophia, qua de causa dicitur Ciceroni, omnium
 mater artium *L. I. Tusc.* artium omnium procreatrix & quasi parens
L. I. de Orat. ⁴⁴ hi enim primi fuere philosophiæ hostes, *conf. supra*
p. 12. v. 113. ⁴⁵ visionibus fictis atque imaginariis. ⁴⁶ divinis. ⁴⁷ de-
 dita. ⁴⁸ sic Cicero: Ars est enim philosophia vitæ. *L. III. de finibus.*
⁴⁹ sc. epistolam. ⁵⁰ hæc tamen enim Sophia non comitabatur nomen,
 de quo querebatur in præc. literis. ⁵¹ non post nomen, uti olim,
 sed ab initio, primum enim ante nomen 78 M. Magistrorum insigne,
 locum occupat.

FRAGMENTA.

EX EPISTOLIS.

Porta fenestralis cur oscula dulcia carpit,
Vana quæ sitiunt nostra labella prece?

EX EPIGRAMMATIS.

ante genu Tauri quot Pleiades sunt,
Totque magistri.

Item:

- candelisque carentes
Dulcia vina bibunt.


EX ELEGIIS.

Parce, rogo, Lector, metuit sua fata libellus.



(X 2373701)

M. G.



Farbkarte #13

B.I.G.

RANFFTII
AMORES

SIVE
EPISTOLAE
INTER EVM ET SOPHIAM
AMASIAM SVAM
COMMVTATAE

ADAMVS GRENZIVS

RECENSVIT
ET NOTIS
AD MODVM

JOANNIS MINELLII
INSTRVXIT

CVM SVMMI APOLLINIS GRATIA
ET PRIVILEGIO.



LIPSIÆ,
SVMP TIBVS AVTORIS
LITERIS JO. GEORG. SCHNIEBESII
M DCC XXIV.

